

Johannes Vestringk

Lectio Cursoria Inauguralis Ex I. 8. ff. de Feriis : Duabus vicibus lecta, & absoluta

Grypswaldiae: Jegerus, 1643


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747423822>


Druck Freier  Zugang





N. K. — 2 (42.)





~~xxx~~
/32/

LECTIO CURSORIA
INAUGURALIS

Ex l. 8. ff. de Feriis

Duabus vicibus lecta, & absoluta

à

JOHANNES VESTRINGK
REVAL-LIVONO.

In Auditorio Jctorum Academiae
Gryphiswaldensis

12. & 13. Junii.

GRYPSVVDIÆ

Typis JACOBI JEGERI Acad. Typogr. exscripta
Anno M. DC. XLIII.

Hilperhusa. Francus & Adv. Saxo. Goth.

JENÆ, STANNO MULLERIANO.

In L^ectionem de Horis
Epigramma.

HOraruit, momenta ruunt, celeresq; peribunt
Menses, atque dies, secula, nil stabile est.
Et tamen hæc reputans transacta tempora vitæ
Vel malè, vel temere, vel nibilegit Homo.
Qui cupis idcirco benè vivere: perlege scriptum,
Et quò disces fiet Hora locanda benè.

fecit,

Franciscus Stypman.
J. U. D. & Prof. ordin.

Qui in cathedra solidè tractans horasq; diesq;
Eruis ex Jure, & Philologiàs ope.
VESTRINGI, innumeros annos, horasq; diesq;
Promereris vitæ, fataq; tardi grada.

Honor. E. opt. amico
proper. appos.

JOH. HEUNE D.

Lectio lecta placet, decies repetita placebit,
Dicere VESTRINGI Lectio lecta jubet.
Ecce licet decies repetam, tamen usque recurrit
In mentem, relegas, Lectio lecta placet.

Honoris atque amoris
ergò apposuit
Jacobus Christiani
Præfecturæ Hildensis
Quæstor.

LECTIO PUBLICA JURIDICA.

Ad enodationem l. 8. ff. d. Feriis

instituta.



PERIQUE mortalium licentia temporum ineptimus. Non tam voluntate nostrâ, quam cursus errore decepti. Causam si quis exquirat, haud facile exploratum iri arbitror, nisi eam forsân genius noverit, qui cujusque astrum temperat. Audias Clarissimorum Virorum querelas, quod priscae & fanioris Theologiæ nec vestigium nec vola appareat: quod Plato & Aristote-

les pullorum quorundam abortum habuerint, qui putamina, quibus exclusi, præter naturam ambedant. Quod ipsa divinarum & humanarum rerum directrix Jurisprudencia contortulis captionibus in anfractus deflectatur. Cætera quæ instituti nostri non sunt, pensi non habeo. Hæc saltem accuso, quæ jus nostrum deturpant, vel, ut melius loquar, aditum præcludunt, quominus rectâ viâ in illius penetralia grassemur. Quorum numero id potissimum est, quod maxima pars Cultorum Juris, vanitatibus quæstiuncularum capti, Antiquitatum, & omnis veræ scientiæ neglectores, si non planè accusatores, argutias docent, discuntq; , indeq; , quò plus lucis quærunt, eo densiorem suis mentibus caliginem offundunt. Horum studia eorum inaniis juvantur, qui tot controversarium volumina compilarunt, parum certe in publicum proficua. Sæpè in iis aliquid asseritur, quod ne ægrotus quidem somniaret. Ego ab hoc instituto longè diversus sum, quia semel à Magno Cunæo didici, odio habendas difficiles nugæ. Quod ut & impræsentiarum ostenderem, postquam ab inclyta facultate Juridica, copia publicas lectiones hac die habendi mihi facta est, selegi publicè privatimq; , necessariam materiam, edocturus, qui Momenta, Horæ, & Dies Juri nostro deserviant, Vos omnes notas à me non expectabitis, sed sicubi pedem traxero, vestrâ benevolentiam cuncta supplebitis.

A

DE MO

Hilperhusa. Francus & Adv. Saxo. Goth.

JENÆ, STANNO MULLERIANO.

§. I. DE MOMENTO.

Momentum à moveo dicitur, quasi movimentum, seu ictus oculi *τὸ ἄτομον, τὸ ἀκαρπές*, idem quod punctistitium, articulus temporis; transfertur deinde ad res arduas, quæ maximi momenti dicuntur, eo fortasse, quod gravissima negotia momento, & quam cunctissime expediri debeant. Anterioris significationis hoc loco Momentum pertractabimus, & est illud pars temporis, quæ cogitatione percipi potest, minutissima, & indivisibilis. In jure nostro diversa momenti habetur ratio, adeò, ut in quibusdam casibus & actionibus accuratè observetur, in quibusdam non. Id quod ex sequentibus legibus dilucidius patebit. Primo nobis obvenit *l. Arescusa. 15. ff. de statu homini.* Hæc lege duo casus occurrunt; Primus hic est. Testator Arescusa servam jubebat esse testamento liberam, hac conditione, si tres peperisset. Illa enititur primo partu unum, secundo tres, edidit ergò quatuor, tres autem tantummodo à servâ sub conditione libertatis postulaverat Testator, quæritur ergo, an quartus liber an verò servus natus videatur. Respondet lex, eum esse liberum, quamvis uno partu cum cæteris editus sit, ratio, quoniam illo momento quod inter tertii & quarti enixionem, interfuit, mulier conditionem, ut tres pareret implevit, atque adeo illa libera post tertii partum existens, quartum ex libero utero, liberum edidit. Secundus hujus legis casus est, si manu missa sub hæc conditione, si decem millia hereditio dederit, & illa parturiens per alium conditionem impleat, & momento quo conditio effecta est, libera liberum peperisse credenda est. Sequentis *legis 16. ejusdem tituli* par ratio. Si nempe primo partu duos ediderat Arescusa, secundo geminos pepererat. Dicendum enim esse, utrumque non posse ingenuum dici, sed eum qui posterior nascatur, eò, quod conditio, interstitio illius momenti, quod inter tertii & quarti partum interfuit, impleta sit, esse enim hic questionem facti potius quam juris, quarum illa incerta, utpote plena circumstantiarum excuset, hæc secus. Usque adeò favore libertatis, etiam momentum temporis unius uteri geminum partum ita distinguit, ut ante illud momentum natus, servus maneat, post illud editus, liber fiat. Eodem modo favore minorennitatis Ulpianus *l. 3. §. 3. ff. d. mino-*

ff. d. mino-

ff. d. minorib. 25. annis. à momento in momentum fieri supputationem viginti quinque annorum vult, adeò, ut quis ante momentum completi anni 25ti, & illucescentis diei primi Anni 26ti, aliquid agens vel faciens, minor & impubes habeatur, & tanquam circumscriptus restituatur, quod idem *l. ult. C. de temporibus in integrum restit.* innuere videtur. Sic si quis rem alienam à non Domino bona fide emptam, & unico tantum momento possessam, amiserit, habet 30 annorum publicianam actionem. *l. 12. §. ult. ff. de publician. in rem actione.* In alternativâ venditione idem observatur. E. g. est mihi emptus Titius aut Pamphilus. Electio est penes venditorem, uter venditus sit, utpote qui debitor est, uno tamen extincto, alter venditus intelligitur, si ambo pereant, sed diversis temporibus; prioris periculum ad venditorem, posterioris ad emptorem pertinet, si vero pariter & eodem modo decesserint, pretium ab emptore debetur. *l. 34. §. 6. ff. de contrahend. empt.* Similiter *l. 28. ff. de condit. Institut.* talem casum proponit. Si filius sub conditione heres sit, & eâ cessante nepotes substituuntur. Quæritur, an nepotes, an verò filius ad hereditatem, nondum impletâ conditione, sit admittendus. Decidit Papinianus. distinguendo inter conditionem, quæ non nisi à vivo herede s. filio impleri potest, & eo mortuo, vel in momento mortis constituto, per alium effici nequit, (qualis est; si Alexandriam ierit filius, & ipse Romæ decesserit) & inter eam, quæ etiam in momento vitæ extremo per alium perfici potest, qualis est: Si Titio decem dederit filius, heres esto. Hoc casu ait Papinianus, admitti filium ad hereditatem, cum in mortis limine conditionem præstare etiam per alium valeat. Illo admitti nepotes, nec prius filium hereditatem accipere, quam conditionem vivus ipse, non per alium, ut priori casu impleverit. Condicio itaque facti temporis spatium continens impleri ultimo vitæ momento non potest, conditio dandi potest, etiam per alium, quin impleta ignorantia puram dispositionem efficit. *ut not. Gothofred. Ibid.* Ita quoque si cui servus, eâ lege donatus fuerit, ut manumittatur, eo momento eum manumittere cogitur. Atqui si filiofamilias datus fuerit, interim Patri non acquiritur, sed eo momento liber fit. *l. 20. ff. de Manum. vindict.* Sic etiam Coloni, ita glebæ & agriculturæ inhærere debent, ut ne puncto quidem temporis ab

A 2

agricul-

Hilperhusa. Francus & Adv. Saxo. Goth.

JENÆ, STANNO MULLERIANO.

agriculturâ recedant. *l. 15. C. de Agriculis Censitu & Colonis.* Si quis filiofamilias pecuniam donaverit, sub conditione, ut creditori suo solvat, protinus, & in momento eodem, quo pecuniâ dantur sub tali conditione, pecuniâ dominium transfertur in filiofamilias creditorem, cui pecunia data est *l. 9. §. 1. ff. ad SC. Maced.* Si filiofamilias mutuò sumptâ pecuniâ, Patri literis significaverit, ut eam solvat Creditori, si non actum filii sui rati habere vult, continuò, & eodem momento, testationem contrariâ voluntatis interponere debet. *l. 16. ff. eod.* Ut uxoris abortu testamentum non solvitur, sic certum est nato posthumo illud rumpi. De hoc autem certatum ait Justinianus, *l. 3. C. de posthumis hered. instit.*: An posthumus, qui illico vel eodem momento excessit, quo natus, rumpat testamentum. Et concludit secundum Diocletiani, Maximiniq; Impp. *l. 2. & Sabinianorum sententiam l. 3.* Modo non sit monstrum aut prodigium posthumus, quamvis illico (vel eodem momento) postquam in terram cecidit, vel in manibus obstetricis decessit, testamentum rumpi. In quâ lege obiter mihi ad priscum morem alluisse his verbis (postquam in terrâ cecidit) videtur, quo natos infantes statim in terram statuebant. *Græcius lib. 1. Sylv. ait.* Tellure cadentem, accepi, foviq; sinu, & *lib. 5.* Meus ille meis tellure cadentem excepi, & *lib. 2.* Natum protinus atque humum per ipsam primò marmure dulce, vagientem blando Calliopem sinu recepit. *Tertull. lib. de animâ.* Prima constitutio infantis super terram Statinæ Ædeæ (Statinæ Deæ legendum) sana est. Statinam Deam *Varro* facit Pueritiæ præsidem, quam inde nomen accepisse existimat. *lib. 2. de vit. pop. Rom.* quod natus puer simul ac sublatus erat ab obstetrice statuebatur in terram, ut auspicaretur re-ctus esse. notante id *Cujac. 11. Observ. 30. Forcat. 23. Cup. in fin.* In usucapionibus non à momento in momentum, sed totum (*Viglius Zuickhemius legendum censet Tantum, in §. præterea. Instit. quibus non permitt. test. facere.*) postremum diem computamus. *l. 6. ff. de Usucapio. q. diceret Ulpianus,* non dividi diem momentis, sed totum simul ac inceptus sit, absolutum censerit, adeo, ut qui illum attigerit, is usucepisse dicatur. Id planius explicemus, *Venuleius* in usucapione ita servari ait, ut etiam si minimo diei res novissimè possessa sit, nihilominus repleatur usucapio, nec totus dies exigatur, ad explendum
constitu-

constitutum tempus. *l. in Usuc. 15. ff. de divis. & temp. præscript.*, longè aliter quam in temporalium actionum præscriptionibus. De his enim respondet *Paulus*. In omnibus temporalibus actionibus, nisi novissimus totus dies compleatur, non fieri obligationem. *l. 6. ff. de oblig. & act.*; Ex quibus omnibus observare licet, quod in principio innuebamus, aliquando exactam rationem momentorum haberi aliquando non. Investigant *ICri* in rationes, quare hoc legibus nostris diversimode statutum sit. *Viglius Zuickhemius* id inde factum arbitratur, quod Usucapio introducta sit bono publico, ne res ipsæ deteriores fiant, & negligantur, idq; futurum, si quocunque tempore eas vindicare Dominus posset. Utile itaque fuit, ut ait ille, præmio Usucapionis invitare ad diligentiorum culturam ipsos possessores. At in præscriptionibus actionum nullus est ipsius rei favor, ne ipsæ negligantur, sed ideo tantum introducta præscriptio, ne lites sint perpetuæ, sed ut aliquis harum finis esset. *l. ult. ff. pro suo*. Ita fit, ut citius impleatur usucapio, quam personales actiones extinguantur, & facilius usucapere debeat, qui bonâ fide possidet, difficilius verò adversus bonâ fide possidentes, usucapiatur: Ideoq; hic locum non habet regula. Quod parum distat, nil distare videtur. Hæc ratio quidem in usucapionibus obtinet, sed non omnibus aliis casibus applicari potest. Afferunt quidam in articulo hujus explicationem, distinctionem inter diem naturalem & civilem, ut per hanc quidem dies exactus intelligatur, etsi tantum inceptus fuerit, per illam autem non exactus censeatur, nisi omnino præterlapsus, & suis horis & momenti absolutus fuerit, atque ita effluerit & pertransierit, ut jam sequens incipiat. Sic enim ex *l. 2. ff. de verb. sign.* Annum Civiliter non ad momentum temporum, sed ad dies numeramus; de quâ distinctione plura, ubi ad dies pervenerimus. Verum enim verò mihi omnium accuratior videtur *Accursii & Bartoli* Regula in *l. 3. §. Minorem. 3. ff. Minor*: quâ significatur, id attendendum esse, an favor rei & causæ exactam momentorum supputationem, an verò eorum post habitationem & neglectum requirat: Ita ut à momento in momento fiat supputatio, si res favorabilis sit, non verò ea attendatur, si idem rei favor id exigat. E. g. ubi favor libertatis *l. 15. & 16. ff. de stat. hom. l. 20. ff. de Manumiss.* Minorennitatis *l. 3. ff. de Minor. l. ult. C. de*

A 3

temp:

Hilperhusa. Francus & Adv. Saxo. Goth.

JENÆ, STANNO MULLERIANO.

temp: in integr. restit: bonæ fidei possessorum. l. 12. §. ult. ff. de Public: in rem action. Impletæ voluntatis defuncti *l. 28. ff. de Condit. Institut. filii familias l. 9. ad SC. Macedo:* Vel alia quæcunque rei utilitas exigere videatur, ut Reip: ne quis à Tutela, vel aliis muneribus publicis excusetur, quo sensu accipio *l. 74. §. Fabius Ant. 1. ff. ad SC. Trebell.:* hæc verba ultima; Quamvis scire se dixerit, à Divo Marco non excusatum eum, qui septuagesimum annum ætatis egressus fuisset, item *l. Majores 3. de Iur. Immunit. l. 25. C. de Agriculis, Censitis, & Colonis. l. 16. ff. ad SC. Maced: l. 6. de obligat: & actionibus.* tum ut à momento in momentum fiat supputatio, tum habendam momentorum omnium rationem, si v. vice versâ eadem earundem rerum privata vel publica Utilitas vel favor id suadent, intermittendû. Verbi causa: Favorabilis est, ut quis liberâ suarum rerum administrationem, tam in testamentis faciendis, quam etiam in servis manumittendis habeat: Ut lege Papia Poppæa Latini liberti filio, filiaq; nato, nataq;, anniculo, anniculaq;, factio factaq;, jus quiritem consequatur, ut ad honores, capeffendos quis admittatur, ut fidei commissum filius capiat; ut rerum dominia diutius non sint in incerto, neve deteriores res fiant, aut negligantur. In his igitur omnibus favor rei momenta singula complecti non potest, sed vel inceptus tantum dies pro consummato habetur. Atque ita exaudiendi erunt textus. *l. à quâ ætate 5. ff. qui testam. fac. possunt. l. 1. de Manumiss. l. Anniculus 134. de V.S. l. qui filium 74. §. 1. ff. ad SC. Trebell.* (qui textus de fidei commissio filio relicto disertim loquitur, ne videatur pugnare cum *l. non putabam 48. ff. de condit. & demonstrat: l. in usucapionibus 6. l. Ideoq 7. ff. de Usucap. l. in Usucap. 15. ff. de diver. & temporal. præscription:* Atque hæc tenus de Momentis, nunc de horis.

§. 2. DE HORIS.

HOra ab Hebræo *אור* lux, a Rad. *איר* illuxit vel à *אור* coruscatio, splendor denominatur, de quo *ὥρος* Horus. *Macrobius lib. 1. Saturnal. ita:* Apud Ægyptios Apollo, qui est Sol, Horus vocatur, ex quo & 24. Horæ quibus dies noxq; conficitur. Nec enim infrequens est, Ægyptiorum vocabulorum cum Chaldæis & Judæis convenientia, non secus ac rituum, sapientiæ & religionis. Ipse
Pythagoras

Pythagoras Ægyptum trajiciens in Chaldæam & Syriam pervenit, ibiq; hausta eruditione, plurima de Religione Chaldæa & Judaica in Ægyptum disseminavit. Ipsam Trinitatem dicitur sub Monados & τριάδος vocabulis indigitasse, ut id *Philaltheus super Aristotelem de Cælo* ostendit. Ur seu Ignem Chaldæi & Syri coluerunt, unde non mirum si hinc Ægyptiis Horus fuit. Græci quatuor anni partes horas appellarunt, Inde Hornum, quod hoc anno factum, prognatumq; dicitur. Apud Romanos Hora Providentiæ Dea, Quirini uxor erat. *Ennius.*

Teq; Quirini Pater veneror, Horamq; Quirini.
Ovidius, qui primam corripit, ita canit.

- - - Et priscum pariter cum corpore nomen.
Mutat, Horamq; vocat, quæ nunc Dea, juncta Quirino est.
Plutarchus ait, Ejus templum semper apertum fuisse, additq; rationem, quod negligentes ea Dea non patiatur, sed semper aliquid præclari fieri hortetur. Unde & Horta, & Stimula dicta, Prisci tres Horas finxerunt.

Et Jovis & Themidos Horæ de femine natæ,
Eunomia atque Dice atque Irene divos & omnes
Florentes Vernæ.

Hesiodus earum officium describit, quod rebus mortalium maturandis præfint. *Homerus* *Iliad.* 5. & 8. E & d. vocat ipsas janitrices cæli.

Αὐθιμαται δὲ πόλαι μνητὸν ἔραν, αἷς ἔχον ὥραι
τῆς Ἰππύτραπῆαι μέγας ἔρανὸς ἐλυμπόσσι.

Sponte autem portæ crepuerunt cæli, quas custodiebant Horæ,
Quibus commissum est magnum cælum, Olympusq;.

His quoque cura equorum Junoniorum commissa erat, ut colligo ex *Iliad.* θ.

Ἰῆσι δὲ ὥραι μὲν λῦσαι καλλιτέριχας ἰώπας
καὶ Ἰὸς μὲν κατήδησαν ἴπ' ἀμβροσίησι κάπησαν.

His (nempe Minervæ & Junoni,) solverunt pulchrè jubatos e-
Et hos quidem ligaverunt ad immortalia præsepia. (quos,

Per horas autem intelligi par est, tempus oportunitatis, ad quippiam agendum, quod Græci *εὐκαιρίαν*, Latini occasionem vocant. Statuit
Antiqui-

Hilperhula. Francus & Adv. Saxo. Goth.

JENÆ, STANNO MULLERIANO.

Antiquitas horam vicesimam quartam diei partem, hanc in 60. minuta divisit, & minutum in sexaginta secundas, & ad decem sic progressa est. Nunc 24. pars diei dicitur, quo tempore æquator decurrit gradus 15. Hinc fit ut 360. gradus, conficiantur 24. horarum spatio. Triplex autem est hora, quemadmodum Astronomi dispescunt. Planetæ, Æquinoctialis seu Æqualis, & temporalis seu inæqualis. Horæ Planetæ sunt, qui bis illi singulis diebus dominantur. Unde etiam hodie apud nos Solis, Lunæ, Martis, Mercurii, Veneris, Saturni dies nominantur. Non in honorem gentilium Deorum, sed quod Astronomi talia nomina, facilioris demonstrationis gratia, indiderint Planetis, qui dies hos regunt, ortu suo à prima numerando. Hora æquinoctialis, seu æqualis, naturalis est cursus æquatoris 15. graduum æqualis dicitur verbo vulgi, & observatione Majorum, qui quemlibet diem, duodecim horarum æqualium, & totidem noctem fecere. In causam hujus divisionis plurimi inquirunt, dicuntq; quidam, oriri ex cœli demensione, qui secundum rationem in duodecim partes distincta fertur. Alii ex Cynocephali observantia, siquidem id animal, utriusque æquinoctii tempore, duodecies, per horas quippe diei singulas, item noctibus ejusmodi toties excrementa profundere ab Ægyptis sacerdotibus fuerit animadversum. Accedebat, quod in his ipsis temporum cardinibus Cynocephalus, duodecies, horis quippe singulis, quanto potest ululatu, soleat vociferari. Hinc mos inolevit apud Ægyptios, ut in Horologiis aqueis Cynocephalum disculperent, ex cujus pene fistulato aqua distillaret. Quò haut dubie, Victorinus respexit, dum ait ex Ciceronis autoritate Trismegistum, quum esset in Ægypto, sacrum quoddam animal, Serapidi dicatum, duodecies toto die urinam facere observasse, idq; pari semper interposito intervallo. Unde ipse diem per duodecim horas fuisse distributum conjecerit. Exindeq; hunc horarum numerum constitutum. *Plinius lib. 7. cap. 60. Varro de ling. latin. lib. 5.* ajunt: Horarum usum diuturnis temporibus latuisse apud Romanos, & id quidem 300. & amplius annis, nec usquam XII Tabularum leges de horis fecisse mentionem certum est. Sed cum antea dies continuâ serie numerarentur, à nocte mediâ præcedente, ad noctem mediam sequentem, tantum Lege XII Tabularum has partes non tam diei, quam usuræ
Lucis,

Lucis, Mane, Meridiem, Occasum, & supremam tempestatem distinguebat. Post annum ab Urbe condita C C C demum Horarum distinctio Romanis innotuit, tum edocti noctem à luce distinguere, duodecim nocti horas, totidemq; luci, quam diem appellabant, tribuebant. Diurnæ itaque horæ ab ortu ad occasum, Nocturnæ ab occasu ad ortum numerabantur. Sic eveniebat, ut inæquales essent horæ illæ, pro diei & noctis longitudine & brevitate. Tandem ab Ægyptiis & Græcis, primis Horologiorum inventoribus, Solaria, Horaria, Horographia, & Scioterica acceperunt. Quale Romæ in in Campo Martio fuisse Pomponius Lætus in antiquitatibus Romanis refert. Habet septem gradus circum, & lineas distinctas metallo inaurato, solum etiam campi eo loco, ubi Horologium illud positum, lapide amplo quadrato stratum, & lineas habuit easdem, & in angulis quatuor ventos cum inscriptione, Ut boreas spirat ex opere Musivo. Ait Plinius *lib. 36. cap. 10.* id ab Augusto extractum. Posteaquam campanæ, non à Paulino Episcopo Nolano circa annum C C C C in Campania (unde Campana dici fingitur) & urbe Nolâ, sed longe antiquioribus temporibus inventæ, tum divisus dies est, in horas 24. Secundum has horas solaria ad solem constituerunt, & cum iis uti cœlo nubilo non liceret, ulterius progressa est priscorum diligentia & Clepsydras seu Horologia aquea invenit, ad hunc fermè modum, quantum ex scriptoribus colligi potest, facta. Erat vas quoddam vitreum, in cuius fundo angustum foramen auro circumdatum, ne ab aqua consumeretur. In altera vasis illius parte linea recta, 12. horas inscriptas habens, erat ducta. Postea vas aquâ implebant, quod per exiguum foramen eam guttatim emittebat. Ipsiq; etiam aquæ super imittebant, cui hastula seu virgula erat infixâ, quæ apice & extremitate sua primam, mox deficiente sensim aquâ, secundam, & ulterius destillante tertiam, sicq; consequenter demissa, alias tangendo monstrabat horas. Inde q; Clepsydra dicta, quod clepat, & quasi furetur aquam. Primus & præcipuus illarum usus in urbe Achaëta trans Nilum fuisse memoratur, ubi inter alia vas admodum ingens fuit, in quo singulis diebus sacerdotes singuli numero trecenti & sexaginta ad anni ferè rationem quæ apud eos talis, habebatur, subductis intercalaribus, quinque, aquam ex Nilo detulerunt, quæ suo emissâ cavo, per ejus ge-

B neris

Hilperhusa. Francus & Adv. Saxo. Goth.

JENÆ, STANNO MULLERIANO.

neris horologium, vel clepsydrum Horas indicavit, ut *Iohan. Pier. lib. 6. Hieroglyph. recenset.* Ad antiquarum clepsydrarum modum nostris seculis vascula illa arenaria inventa sunt, hæc in medio pertusa & strigosa sunt, in quibus arena ad pollinariam subtilitatem succreta, vasculi conversionibus ultro citroq; commendo horas metitur, & quidem multo quam aqua rectius. Nam hæc facile motu attenuatur, & ita exhalat. Unde ejusmodi horologia non recte distinguere intervalla tempositis possunt. Cujus *Cælius Rodiginus* rationem Physicam dat, quod clepsydræ multo tardius hyemali, quam æstivo tempore fluant. *lib. 26. c. 7.* Omnia sua tempora Romani ad certas horas, has autem ad clepsydras metiebantur, quæ etiam ipsis Oratoribus inter perorandum data. Id *L. Apulejus de Asino aureo. lib. 3. his verbis indigitat.* Sic rursus præconiis amplo boatu citatis, accusator quidam senior exsurgit, & ad dicendi spatium vasculo, in vicem colli graciliter fistulato, & per hoc guttatim defluo, infusâ aquâ populum sic adorat, &. Nec enim liberum erat olim oratoribus in infinitum perorare, sed clepsydras observare, & illis exhaustis, desinere jubebantur. Nescio an non *Apulejus* in Apologia pro se scripta eo tendat, ubi ait: at tu interea dum legit, aquam sustine. Metuebat forte ne effluente aqua sibi præscinderetur amplius dicendi potestas. Quod institutum damnat *Plinius lib. 6. Epistol. 2.* Paucioribus clepsydris causam præcipitari scribens, quæ antiquitus pluribus diebus explicabantur. Ideoq; morem illum postea exolevisse, dato libero ad dicendum spatio. Quid enim (ait) jucundius, quàm sub alterius invidia quamdiu velis, & in alieno auditorio quasi comprehensum commodè dicere? significat eum, qui libera dicendi spatia petebat itidem adversario ea concedere; Ita & is, qui respondebat, possit vel longiorem vel breviorum orationem habere citra invidiæ & pudoris periculum, cum ex tempore respondere videatur. Et ideò increbuisse passim & invaluisse consuetudinem ait, binas vel singulas clepsydras, interdum & dimidias & dandi & petendi. Hinc illarum phrasium origo: Ad clepsydrum, supra clepsydrum dicere, & præter aquam, aquam perdere apud probatos Autores. Dabant antiquitus prandia, cœnas, ad certas horas & decursum tempus. Quod *Plautus* suis *Plautini Parasiti* jocos ostendit: qui Clepsydra &

dra & horologia ventri suo famem indicebant: quamvis ea comædia hodiè non extet, nisi quod hæc, quæ adscripturus *Gellius* referat *lib. 3. Noct. Atticar. c. 3. his verbis*

Ut illum dii perdant, primus qui horas repperit

Quique adeò primus statuit hic solarium,

Qui mihi comminuit misero articulatam diem.

Nam me puero uterus erat solarium.

Multò omnium istorum optimum & verissimum

Ubi iste movebat, esse, nisi cum nihil erat.

Nunc etiam quod est, non est, nisi Soli libet.

Postquam adeò jam oppletum est oppidum solarium

Major pars populi aridi obreptat fame.

Diebus fastis, quibus judicia exercebantur, Prætores summo manè in Comitium, sive forum veniebant, atque in Tribunali sellâ positâ affidebant, Accensoq; ut horam tertiam populo circumstanti inclamaret, imperabant. *Varro 5. lib. de ling. latinâ scribit* in Actionibus prætorem Accenso jubere solitum, horam esse tertiam; Accensum inclamare, horam esse tertiam, meridiem & nonam. Unde *Martialis* Exercet raucos tertia caufidicos. Tertiâ inclamatâ tum per Accensum eundem populum rogabat, num quis esset qui apud se lege agere vellet, id est, qui jus posceret. Hoc præcepto audito accedebant lege acturi, veluti si dies postulationum erat, hi aliquid eorum postulabant; quæ legis actionibus continebantur ex illorum legibus, aut edictis. In ipso jure nostro non infrequens est horarum mentio *l. 2. de V. S. Ait Paulus*: Cujusq; diei major pars est horarum septem primarum, non secundarum. Intelligit hic diem civilem 12. horarum, de quâ semper leges explicandæ, quoties negotium non indifferens est, sed necessariò diurno tempore expediendum. Hujus diei septimam horam facit majorem partem, erit itaque sexta media ejus pars, ut *l. 2. de annu. legat. Pomponius his verbis vult*: Si diurnas operas Stychi dare damnatus, non à manè, sed sextâ dièi horâ det, totius diei nomine tenetur. Sexta itaque diei civilis erat meridies, & sic sexta hora accipienda est *in l. 25. §. 1. ff. de lib. & postum.* Ubi à Titio Testatore ex filiâ prægnante ruri neptis pronepos ex parte heres tanquam posthumus per ignorantiam instituitur, testamento horâ sex-

B 2

rà dièi

Hilperhusa. Francus & Adv. Saxo. Goth.

JENÆ, STANNO MULLERIANO.

tâ diei facta, cum tamen ille pronepos albescente cœlo, vel diluculo jam natus & in lucem editus esset, Testamentumq; propterea, quod ab ignorante testatore tanquam posthumus institutus fuit, qui jam natus ruri erat, nulla tenus irritum redditur: Est enim sexta hora, sexta à media nocte, more Romano ita computata. *d. l. nost. 8.* Sic quoque si naturalis dies intelligatur, qui 24. est horarum, cujusque principium est media nox *l. 8. ff. de feriis.* Sexta hora aliter sumitur & significat mediam noctem, quemadmodum *l. 5. ff. qui testam. fac. pos.* In quâ lege quærit *Ulpianus*, utrùm excessisse quis debeat quartum & decimum annum ut testamentum facere possit, an sufficiat compleisse? Propone aliquem Calendis Januariis natum, Testamentum ipso natali suo fecisse quarto decimo anno, an valeat testamentum? Dicit valere. Plus arbitror, inquit, etiam si pridie Calendar. fecit post sextam horam noctis i. e. mediam noctem, valere testamentum, jam enim compleisse videtur annum quartum decimum ut *Martiano* videtur *d. l. 5. ff. qui test. fac. pos.* Idem in manumissionibus de horâ sextâ ait *Ulpianus l. 1. ff. de Manumiss.* Placuit qui Calendis Januariis natus post sextam noctis pridie Calendar. quasi annum vicesimum compleverit, posse manumittere. Ad septimam horam diei alludere videtur *Juvenalis.* Inq; dies septenis oderit horis i. e. majori parte diei. Cur autem *in d. l. 2. de V. S.* Horæ septem primæ, non supremæ debeantur majori parte diei concessâ, rationes hæ dari possunt i. est Commoditas & utilitas laborandi & agendi, cum in confesso sit, matutino tempore longè nos ad agendum promptiores, sagaciores, velociores esse, & integris viribus faciliùs, & libentiùs laboribus vacare. Deinde *ex arg. l. 26. ff. de operis servor.* deduci potest, etiam locatore invito (longis præsertim diebus) qui operas conduxerit, acquiescere, & meridiari licere. 3. ut quoque constet horis supremis Romanos litibus operam dedisse atque adeò major diei censeri non poterat, cum publicis potissimum negotiis non privatorum commerciis dicatus videretur. De utrâque sextâ noctis, & diei loquitur *l. 7. ff. de Usu cap.* Qui horâ sexta diei Calendarum Januariarum possidere cœpit, horâ sextâ noctis Calendar. Januariarum implet Usu capionem: Sicq; non ab horâ in horam, sed à die in diem fit computatio, ut, qui illum attigerit, usucepisse dicatur: Quemadmodum superius de momentis explana-

explanavimus. Ubi quomodo favore rei à momento in momentum fieri vel non fieri supputationem explicatum fuit. Cœterum cum de horis hic nobis sermo sit, quidam Dd. nescio quorsum ita sentiant, si quis horâ sibi testamentum fecerit, aliâ Pupillare, in quo septem testrium numerus comprehensus sit, pupillare valere, & posterius Patris principale evertere, cum de hoc ipso leges illæ mentionem faciant, & semper quis sibi facere testamentum dicatur, qui liberis facit. §. 5. *Inst. de pupill. substit. l. 2. §. 4. ff. de Vulg. & Pupill. substit.* Denique Horas divisas in diurnas & nocturnas constat *ex l. 2. ff. de aq. quot.* Adeò ut cui aut diurnarum aut nocturnarum aquæductus datus est, is non posset aliâ ducere, quam quâ, vel potius in quâ, jus habeat ducendi, quod etiam *Paulus* probat *l. 10. §. 1. ff. quemadm. servit. amitt.* Si is qui nocturnam aquam habet, interdium, per constitutum ad amissionem tempus, usus fuerit, amittit nocturnam servitutem, quâ usus non est. Idem est & in eo qui certis horis aquæductum habens, aliis usus fuerit, nec ullâ parte earum horarum. Ratio est, quod servitute indebitâ utens, eam neque utendo acquirat & tantum sibi debitam amittat, par actum enim contrarium videtur quasi jus suum deserere. Diversum est, si laxius jure servitutis sibi debitæ utatur *h. l. & 11. ff. eod.* nam tum acquirit eam, quam usurpat servitutem, si verò strictè utatur, utpote si nocturnis, & diurnis horis servitutem habeat, & duntaxat nocturnâ per constitutum tempus utatur, amittit diurnam *l. 17. ff. de aqua. & aq. pluv. arc.* Id quoque notandum intervalla horarum non ad temporis causam, sed ad modum pertinere, jure servitutis constitutæ. *l. 4. §. 2. ff. de servitutib.* id est, quamvis in constituendâ servitute convenerit, ut eâ suis horis tantum uti liceat, non continuo tamen descendendum, & ex tempore, & ad tempus constitui, quasi plures sint servitutes. Sic usus servitutum temporibus secerni potest, fortè ut quis post horam tertiam usque in horam decimam eo jure utatur, vel ut alternis diebus utatur *l. 5. §. 1. ff. de servit.* Idem etiam *Paulus l. 7. ff. quemadm. serv. amitt. ait:* Si alternis horis, vel unâ horâ quotidie quis servitutem habeat, Servium scribere, perdi eam non utendo (statuto legibus tempore) servitutem, quia id quod habet, quotidianum est. Lex Julia cap. quinto de Adulterio caverat, ut viro Adulterum cum uxore suâ deprehensum, quem aut nolit, aut

B 3

non

Hilperhusa. Francus & Adv. Saxo. Goth.

7ENÆ, STANNO MULLERIANO.

non liceat occidere, retinere horas diurnas. nocturnasq; continuas non plus quam viginti testandæ ejus rei causâ sine fraude suâ, jure liceat. uti Ulpianus *l. 25. cum §. §. seqq. ff. ad L. Iul. de Adult. ait*: Ego arbitrator etiam in patre id servandum esse, quod in marito expressum est. Sed si non in domo suâ deprehenderit potest retineri, sed semel remissus Adulter reduci non potest, Quid ergò si evaserit? an reductus retineri 20. horis possit? Et puto hic magis dicendum reductum retineri posse, testandæ rei gratia. Quod adjicitur *testandæ rei gratiâ* ad hoc pertinet, ut testes adducat testimonio futuros accusatori, deprehensum Reum in adulterio. Huc usque Ulpianus: Libet propterea hæc verba recensere: quia aliis quoque similibus factis vehementer deserviunt. Nam quoque suspectus de fingâ, & multo magis in crimine deprehensus potest 20. horis retineri, quò interim Judex adeatur, ut id ad *l. 10. §. 16. ff. qu. in fraud. Credit. Dd. exemplo l. Iulie recitatæ* statuendum arbitrantur. Atque sic, quæ de horis pro tempore dici poterant expedivimus.

§. 3. DE DIEBUS.

Dies à dio dicitur, quod cælum, ærem, lucem significat, unde sub dio esse, cubare, vivere. Dius autem à Δις διός Jovis nomine apud Poëtas. Varro diem ex dio esse ait. Divus Basilius Magnus in *Hexametro dixit*: Diem esse illum ærem, quem Sol illuxit, cum est in eo dimidio globo, qui est super terram collocatus. Græci ἡμέραν appellant propterea, quod (ut autor est Plato) ἡμέρας i. e. lumen tenebris emicuit hominibus sumè operè desiderantibus, & congratulantibus. Quâ de causâ ἡμέραν scripserunt Veteres. Posterius autem seculum ἐμέραν, ac tandem ἡμέραν, non nulli quasi ἡμέραν i. e. mansuetam dici crediderunt. Sumimus hodiè promiscuè diem in Masculino & Fœminino genere, cum Veteres videantur ea distinxisse. In fœminino genere pro tempore sumi Pedianus autor est, qui ait, dies fœminino genere tempus significat, & ideo diecula breve tempus est moræ. Dies horarum 12. masculini est generis, unde hodiè dicimus (non hodiè) quasi hoc die. Cum ergo diem pro tempore acciperent antiqui, dicebant annuâ, bimâ, trimâ die, pro eo, quod est unius, duorum, vel trium annorum spatium. His autem verbis, ut hoc obiter notem,

notem, factum legatum in duobus ab annuo differt, quod hoc quoad vivat Legatarius legatum duret *l. Sej. 10. ff. de ann. leg.* illud tribus aut quatuor annis tantum debeatur. Item si centum annua legantur, singulis annis centum praestari debent, annua verò bimã, trimã die 30. aureorum legato, non singulo anno 30. petuntur, sed ex legato 30. aureorum singulis annis dena dari debent, *l. 3. de annu. leg. l. 8. §. 5. ff. de pignorat. act.* nisi multiplicationem denotante verbo usus sit Legator, hoc est non decem aut triginta, sed dena, aut tricena annua bimã, trimã die se legare dixerit *l. 3. §. Stichus annua ff. de stat. liber.* tum enim dena aut tricena singulis annis per tres annos debebuntur. Sic quoque in diem differre, idem est quod sub conditione in certum tempus protrahere negotium *l. 1. §. item mandatum 3. ff. Mandati.* Quamvis alias in diem legare à sub conditione legare distinguatur, adeò ut in diem propriè sit, cum certum est eam venturam esse *§. in diem Instit 3. Verb. obligat.* Condicio autem ex eventu dependeat, qui in certus est, & fallax. — Inde *Socinus* errare videtur, quod in *l. 3. ff. de liber. & post.* hoc legatum: *Lego si adeatur hereditas, de legato in diem, non verò sub conditione interpretetur, cum tamen aditio hereditatis in dubio, nempe voluntate Heredis consistat.* Id quoque observandum omnes actus legitimos nec diem nec conditionem admittere *l. 3. §. 1. d. liber. & posth. l. 77. d. Reg. jur.* Differunt autem in diem, ab *Ex die*, & *ad diem*. Nam *ex die* promitti dicitur, cum ex illo die incipit obligatio. *Ad diem* dicitur, cum, in diem ita confertur, ut illo die finiatur. Veluti usque ad *Calendas Martias* dare spondes? *l. 44. §. 1. ff. de oblig. & action.* Hæc perfunctoriè. Porro apud varias gentes variè incipiebatur dies. Nam apud Romanos à mediã nocte ad mediam noctem sequentem extendebatur ut in *l. 8. ff. de feriis.* More Romano, inquit *Paulus*, dies à mediã nocte incipit, & sequentis noctis mediã parte finitur. Ita quicquid in iis 24. horis i.e. duabus dimidiatis noctibus, & luce mediã actum est, perinde est, quasi quâlibet horã lucis actum esset. Apud *Ægyptios* simili modo, ut supra diximus, observatum. Apud *Athenienses* totum id tempus, quod ab occasu ad occasum est, dies habebatur. Nunc ab ortu ad occasum solis, vulgò nuncupamus diem more vetustissimo quo dies primum in duoëcim horas est divisus. Unde *Sospitator*
 noster

Hilperhusa. Francus & Adv. Saxo. Goth.

7ENÆ, STANNO MULLERIANO.

noſter CHRISTUS *Iob. 11.* Nonnè (inquit) 12. horæ diei ? Et *Geneſeos 1.* Et diviſit lucem in tenebras, appellavitq; lucem diem & tenebras noctem. Idem *Proculus in l. 124. ff. de V. S. ubi inquit :* Diſjunctivum eſt veluti cum dicimus, Aut dies, aut nox eſt, quorum poſito altero neceſſe eſt tolli alterum. *Claudius Saturninus l. 16. §. 5. ff. de Pœnis,* Tempus, inquit, diſcernit emanſorem à fugitivo, & effractorem, vel furem diurnum à nocturno. In jure civile ſumitur dies pro ſubjectâ materiâ, modò civiliter, modò naturaliter. Civilis dies eſt, qui *d. l. 8. ff. de feriis* deſcribitur, à media nocte in mediam noctem. Media nox prima dicebatur vigilia, deinde erat Gallicinium, poſt Diluculum ſive aurora, cum cœlum albeſcebat *l. 25. §. 1. de lib. & poſt.* (*Gellius* albicaſſit Phœbus. *Virg. 4. Æneid.* Ut primum albeſcere lucem vidit *Apuleus lib. 7.* dies inalbicat) deinde manè, meridies, occaſus, veſper, intempeſta nox, ſ. concubium. Sicut ergò ab urbis exordio, & tempore Legis XII. tabb. latæ, moribusq; deinde ſequentibus in acie & caſtris militaribus hæc diei conſideratio obtinebat, ita etiam in urbe. (ut ſæpius factum plurimis exemplis demonſtrari poteſt) rei militaris imitatione. Uno verbo, dies Civilis etiam tempus, quod abſolvitur uno cœli circumactu, quo dies verus, & nox continentur. Ut ſi dicam, ille dies 30. vixit, noctes quoque ſimul intelligo, nox enim *teſte Servio* eſt pars diei. Naturalis dies eſt quem *Paulus* deſinit. *l. 2. §. 1. ff. de V. S.* cujus antea mentionem fecimus : Ille unâ cum horarum uſu in *Repub. Romanâ* invectus fuit, conſtatq; , ut dictum, 12. horis diurnis, quarum ſeptem primæ diei, major illius pars cenſetur. Eſt igitur propriè Tempus ab oriente ſolis ad ſolis occaſum, quemadmodum nox eſt ab occidente ſole ad ejus ortum. Si quis hic quærat, quando in Jure, civilis, quando naturalis dies intelligatur. Reſpondemus : Civilis diei uſum eſſe ubi indifferens eſt negotium, poteſtq; tam noctu, quàm interdium procedere, & effici, vel ubi de continuo temporis ſucceſſu fermo eſt. Ut in materiâ Præſcriptionum, Uſu capionum &c : Naturalem autem intelligimus, quoties aliquid tractatum quod aliam rationem in luce, aliam in tenebris habet, quodq; non niſi diurno tempore expediri poteſt. Ut poſt modum ex exemplis ulterius patebit. Diem prætereà à diverſis effectis rerum diverſimodè appellarunt Veteres. De ſingulis quàm breviffimè aliquid dicemus.

cemus. 1. Erant dies Fasti, quibus jus fari i. e. dici poterat. *Varrò lib. 5. de ling. lat.* Dies fasti, per quos Prætoribus omnia verba sine piaculo licet fari. Contrarii horum vocantur Nefasti, per quos nefas fari Prætorem do, dico, addico, *Ovidius 1. Fast.* Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur. *Svetonius in Octavio de Prætoribus teste Prisciano* : Fasti dies sunt, in quibus jus fatur i. e. dicitur, & nefasti in quibus non dicitur. 2. Intercisi, quos à Fastis & nefastis ita distinguit *Macrobius lib. 1.* Fasti dies sunt quibus licet fari Prætorem illa tria verba solemniter do, dico, addico : Hisq; contrarii sunt nefasti. Intercisis diebus quibusdam horis fas est, quibusdam fas non est jus dicere. Et fastis quidem diebus lege agi potest, cum populo non potest, comitialibus diebus utrumq; potest. Hi verò qui quoto quoque mense fuerint ex antiquis fastis editis liquet. De Intercisis sic ait *Ovidius* :

Nec toto perstare die tua jura putato

Qui jam festus erit, mane nefastus erit.

3. Erant dies diffisi, decemviri enim diē diffindi dicebant, qui differrebat, & quo res in alium diem rejiciebatur. Nec dubiū est quin hanc legem de diffindendo diē à Numà Rege desumpserint. Nam certa quædam vitia enumerasse, visus est Numa, quibus si Judex, vel alteruter ex litigatoribus impeditus esset, dies Iudicii diffinderetur. Ejusq; Legis particula mendosissima apud *Gellium lib. 6. extat*, quam ita corrigit *Cujacius*. Si quid horum fuit vitium Judici, arbitrove reove dies diffisus esto. In exemplaribus impressis, pro diffisis, diffensis legitur, forsan ex scriptura Veterū, quā pro i. n. posuerunt imperiti literarum, nam illi disseis scribebant, prout jam Angli eileicò pro illicò, quidveis pro quidvis, per dentes sibilando pronunciant. Dies autem ita diffindi solet ex l. 12. Tabularum, ut si morbo fontico actor vel Reus impeditus esset, morbum in jure allegari per amicum curaret (*Julianus l. 60. ff. de re judicat.* morbum fonticum appellat, qui cuique rei agenda impedimento est. *Ulpianus in l. 4. §. 5. ff. de Edicto. Edicto.* Eum fonticum esse ait qui noceat. Nocere autem dicitur qui perpetuus, non qui tempore finiatur, vel eum qui incideret in hominem, postquam is natus sit. Sontes enim nocentes dicuntur. Vid. *Goth. d. l.*) Tunc Prætor excusatione cognita, quia decem viri

C

ob mor-

Hilperhusa. Francus & Adv. Saxo. Goth.

JENÆ, STANNO MULLERIANO.

ob morbum fonticum volebant iudicium diffisum esse in diffendendo die hac formulâ utebatur. Hic dies diffisus esto: Ergo vocatus in ius in morbo esset opus jumento, nive morbo fontico dies iudicii diffisus esset, statim in ius sequi actorem cogeatur: Eiq; non sequenti præsentibus antestatis actor iudicium denunciabar. Hujus diffisionis facit mentionem Ulpianus, l. 2. §. si quis in iudicio ff. si quis caution. in iud. sist. causa fact. non obtemp: Ex quibus apparet discrimen inter dies intercisos, & diffisos, quos plurimi etiam specie in vulgus eruditi ignorantia Antiquitatis confundunt. Quemadmodum etiam hoc differt *Tertio* dies comperendinus l. condictus, quo comperendinatio, denunciatio, & condictio fiebat. *Festus ait*: Res comperendinata significat Iudicium in diem tertium constitutum, non dilatum, nam hoc differt à diffiso *Asconius inquit*: Comperendinatio est ab utrisque litigatoribus invicem sibi denunciatio, & condictio in perendinum diem. Namq; cum in rem aliquam agerent litigatores & pœnâ se Sacramenti peterent, poscebant Iudicem, qui dabatur post tertium diem, quo dato deinde inter se in perendinum diem, ut ad iudicium venirent, denunciabant. *Festus*. Condictio est in diem tertium eius rei quæ agitur denunciatio. Quod si cum peregrino res esset, hic dies Status dicebatur. Hic enim *Macrobius*: Stati dies qui iudicii causa cum peregrino instituuntur. Ita quoque *Mellissimus Plautus in Curculione*; Statis condictis cum hoste dies. Hostis verò more veteri significat Peregrinum. Erant *Quarto* dies præliares, quibus hostes laceßere & res repetere licebat. Ut idem *Macrobius lib. 1. Saturnalium* testatur. Erant *quinto* dies sessionum, Postulationum, quibus in tribunali sella, sedebat Prætor. Quamvis etiam sellas secum portasse, in privatis quoque causis cognovisse Historici testentur. Qui dies sessionum, & prædicti omnes, *Profesti* dicebantur, rebus publicis, & privatis iudicandis & discernendis destinati. His opponerentur *Sexto*, Feriatus & festi, quos *Jcti* quidam non distinguunt, cum tamen proprie feriatus sit, quo à foro seu negotiis forensibus est vacatio, *Paulus l. 2. ff. si quis in ius vocat. non jerit* Remittit Prætor pœnam puta, quia dies feriatus fuit. *Festus* autem dies sit, qui contineat ferias publicas, sacrificia, & festa Deorum, & privatos ludos, Epulas & similia. Dicuntur alias dies sanctificationibus dicati. Queis
contra-

contrarii sunt, dies Religiosi, tristi aliquo omine infames quibus nec rei divinæ operari, nec publica negotia tractare licebat. Erant & Septimo. Dies curiæ, quorum *Cic. de Orato. meminit i. e. dies senatus. Turnebo* autem sunt dies, quo Curiales rem divinam in curiâ sua faciebant, hilariter epulabantur, Græcorum more, *ut Athenæus author est*: Octavo Erant & Dies atri, quibus Exercitum educere, prælium cum hoste committere, vel quicquam aliud Reip: causa facere non licebat; *Ut Alex: ab Alexand. lib. 2. Gen. die: c. 5. memorat.* Nonno Bissextus quasi bis sexies ductus, bisextilis vel intercalaris erat dies, qui quarto quoque anno à Pontifibus intercalabatur seu vocato populo interponebatur; Descendit à Græcorum, & deinde Numæ Pompilii constitutione, qua facta ad cursum Lunæ anni computo singulis a mens mensis intercalabatur sexto Calendas Martias, quod postea exolevit. Nam confusis intercalationibus vitio Pontificum, qui aliàs superstitione, aliàs gratia, quò Publicanis proferrent, vel minuerent è re & tempore dies, adeo turbata sunt tempora, ut neque messiuum feriæ æstati, neque vindemiarum autumnò competere. Quo circa Julius Cæsar, non ut olim, ad cursum Lunæ, sed Solis annum computans, cum illum 365. diebus cursum suum absolvere videret, proficuum Reip. habuit, si totus annus in 365. dies secundum cursum Solis dispesceretur. Ne vero quadrans deficiens errorem pareret, statuit ut quarto quoque anno diem intercalaret, eodem die quo antea mensis intercalari solebat, hoc est ante quinque ultimos dies Februarii, eumq; bisextum appellavit, quia intercalato die, bis sexto Calendas Martii dicitur. Fuit ille dies nefastus adeò, ut de Valentiniano dicat. *Ammianus Marcellinus. lib. 26.* Eum nec videri die secundo scilicet intercalato, nec prodire in medium voluisse. Bissextum vitans Februarii mensis tunc illucescens, quod aliquoties rei Romanæ fuisse cognorat infaustum. Erant & Decimo dies iusti, tempus sc. iudicii faciundi: id erat mensis unius ex l. 12. tabularum, vel 30. dierum; ex Constitutionibus Imperatorum duorum mensium, *l. 2. C. Theod. de usur. rei jud:* à decem viris dabantur, iudicatis confessi æris & debitæ conquirendæ pecuniæ causa, quam solverent. Undecimo Legitimi dies dicebantur, quos nunc dilationes ordinarias appellamus. Olim viginti ad accusandum dabantur, totidemq; defensori ad respondendum.

Hilperhusa. Francus & Adv. Saxo. Goth.

JENÆ, STANNO MULLERIANO.

dum. Nuncupantur & Judiciales vel certi, ut *Capitolinus in M. Antonio indigitat*. Sunt & Duodecimo utiles dies, qui olim fasti, quibus agendi, & juris sui experiundi potestas est. *l. 1. ff. de divers. & temp. præscrip*: Intelliguntur autem currere (ut ita loquar) à tempore scientiæ, quo quis scivit se habere jus agendi, & persequendi, suntq; Judiciales, Alii ab iis sūt Decimo tertio Continui dies (*συναντοι & διευκρίσις*, hoc est non interrupti, sed connexi, cohærentes, tam utiles, quam inutiles, *l. 2. ff. de collus. deteg. l. 24. ff. ad S. C. Vellei.*) Dicuntur autem continui, quod continuo unus ex alio dependet, & ex continuis 365. diebus conficitur annus, qui vulgaris dicitur. Fluunt illi dies, quam primum jus delatum est, sive is cui delatum est, sciverit s. ignoraverit. Ideoq; extra judiciales dicuntur. Ultimo sunt fatales dies, intra quos appell: debet appellationem prosequi. *l. 31. C. de Appell: l. 2. C. de temp. Appell.* & quidem olim quatuor dies fatales habantur, quorum primus erat spatium sex mensium, & hoc si appellatum fuit, à sententia Clarissimi, quales erant senatores, vel spectabilis Viri quales erant Magistri scriniorum, vel delegati à Principe. Secundi autem dies fatales erant spatium 31. dierum. Tertii & quarti similiter totidem, si saltem facta erat appellatio à delegato, vel spectabili, vel Clarissimo viro prout habetur in *l. 2. C. de temp: Appell*: Hodie autem ex ordine unus tantum est fatalis dies i. e. annus unicus. Sed si justa causa intercesserit alius annus indulgetur, & ita erit secundus dies fatalis, quo transacto lite non contestatâ, rata nocet sententia, ut in *Authenticâ. Ei qui appellat d. Tit. de temp. appell.* Dicitur autem fatalis, quod in eis fatum, s. terminus causæ imponitur, & ita ipsi quasi mors accidit. *l. 2. Cod. ubi Senatores vel Clariss: Nisi interstitio Fatalium dierum causa appellationis introducitur, interit. l. 2. C. de appell. l. ult. C. ubi Sen: vel Clariss.* dicitur & temporalis dies *l. 32. C. de appell.* Effectus dierum varii sunt. I. In unicum diem vicena millia passuum in singulos dies Prætor dinumerari jubet, ei qui iudicio sistere se promiserit, præter eum diem, quo cautum promittitur, & in quem sistere in iudicium oportet, nam hi duo non computantur *l. 1. ff. si quis caut. in jud. l. 3. ff. de verb. signifi.* Debiti pecuniam ad diem, totus ultimus dies ad solutionem cedit. *l. 8. l. 13. l. 5. 6. ff. de verb. obl.* Si eadē res duobus eadem die pignori sit data, nulli ipsorum jus prælationis facit, sed utrique ipsorum supposita


posita est pro quantitate debiti *l. 16. §. 8. ff. de pignor.* Si tamen diversitas horæ apparet ea consideranda est. *Geil. 2. obs. 25. num. 3.* Si quis ipso die, quo condemnatus est, viva voce inter acta appellaverit, sufficit talis appellatio *l. 5. ff. de appell.* II. Si conditio adjiciatur nullo tempore definita, in biduo conditionem impleri oportet. *l. 217. §. 1. d. v. o.* III. Si ex mea arbore in tuum agrum glandes ceci- perint, nec eas mihi legere permittis: interdictum petitorium mihi concedit, glandes meas extantes ad tertium diem usq; colligere *l. 1. ff. de gland: leg:* In continenti adverbium, idem quod statim denotans, tres dies significat *l. fin. C. de error. advocat.* Advocati errorem quis intratres dies corrigere potest. *l. fin. C. d. er. calc.* VII. Septem dies qui præcedunt, & septem qui sequuntur festum passionis Domini sunt feriat. *l. ut die 2. & l. omnes 3. C. de fer:* IV. Nullus hæredibus ejus quæ decesserit, ante novem dies, in quibus lugent, vel accusationem, vel actionem, vel quam cunq; molestiam movere potest. *Auth. sed ne- que. C. d. sep. viol. Nov. 115. c. 5. X.* Obligatio constitutæ pecuniæ nul- lo tempore definita, decem dierum spatium habet *l. promissor. 21. §. si sine. ff. d. const. pec.* Modicum tempus decem dies sunt *d. l. §. 1. XV.* Testes in causis pecuniariis quindecim solummodo dies in judicio ma- nere compelluntur. *l. si quando. 19. C. de testb.* In quindecim paschali- bus diebus compulsio annonariæ functionis, & omnium publicorum debitorum differatur exactio. *l. omnes 3. §. fin: C. d. feriis.* XX Reus conventus non solum decem, ut olim, sed viginti dierum indu- cias habet, ad hoc, ut se defendat contra libellum adversus se porre- ctum: ut constitutio, de exhibend: reis, docet. Licet autem & in- tra hosce viginti dies judicem recusare. *Novell. præ alleg: & Au- thent. offeratur. C. delitis contestat. XXX.* Si accusator decesserit, a- liave causa eum impederit, quominus accusationem persequeretur, nomen Rei aboletur: sed ita ut alii intra triginta dies utiles eum ex in- tegro repetere liceat. *l. 3. §. ult. ff. de accusationibus & insc: l. hi ta- men, eodem.* Im puberi remittitur pæna commissi, si intra diem tricesi- mum vestigal intulerit. *l. imperatores §. iidem ff. d. publican.* Si cura- tor pergrè absit, intra 30 dies, Judex eum certio rem reddat, quod tutor vel curator nominatus sit *l. Scire. §. qui autem ff. de excusation.* Hæres intra 30. dies, Inventarium incipere debet. *l. ult: C. de jur: deliber:* Intra 30. dies appellanti à sententia definitiva, apostoli dantur *l. quoni-*


am


Hilperhusa. Francus & Adv. Saxo. Goth.


JENÆ, STANNO MULLERIANO.

am & l. iudicib. C. d. appell. Post solutum matrimonium intra triginta dies mulier denunciare debet, se ex viro prægnantem esse. l. i. §. denuntiare. 3. ff. d. agnos. lib. XL. Tempore quadragesimæ nulla criminalis quæstio movetur. Attamen moris latrones tempore hujus sacri jejunii puniri. l. quadraginta 6. & l. provinciarum 10. C. d. ferii. L. Quinquaginta dierum spatium tutoribus currit, ex quo sciverint, si velint excusatione uti: si vero transierint, actioni tutelari obnoxii sunt l. quinquaginta 38. ff. de excusat. §. qui autem 16. Instit. eod. tit. LX. Maritus usque ad sexaginta dies utiles accusationem adulterii contra uxorem jure mariti movebat. Hodie autem, secundum Novellam inscriptionem postulanti, accusatio jure mariti adempta est. Post inscriptionem enim consilium mutare, nisi permittente uxore, non potest. Novell. 117. l. miles. 11. §. 6. & seq. ff. de adultr. l. jure mariti. C. eod. l. auxilium 37. ff. de minoribus. Post duos menses administrationis usuræ à tutoribus exiguntur: sed ita demum cum præterierint, aut tantum temporis excesserit, quo pecunia collocari potuit. Id verò non obtinet in eo, qui credere non potuit. l. tutor §. usuræ l. cum plures §. fin. ff. d. adm. tut. Ubi lex duorum mensium facit mentionem, sexaginta dies sufficiunt l. ubi ff. de reg. jur. Exiguum tempus duorum mensium intelligitur. l. debitoribus ff. de re jud. C. Bonorum possessiones, quæ agnatis ex latere deferuntur, intra centum dies utiles petuntur, ex quo cognitum fuerit eas competere. Et intra hoc tempus eas aut accipiunt, aut repudiant §. fin. inst. de bon. posses. l. 2. C. qui admitti. Præter hos quos diximus dies, venient explicandi, Communicatorii, Pandiculares, Nundinarum, Lustrici, & quos Medici *νεψήκτες* & *νεπιπύκτες* appellant, s. decretorios & judicatorios. Eset & dicendum, quid sit diem actionis cedere, diem proferre, & referre, diem actionis exire, diem compromissi proferre, diem edere, diem cedere. quomodo usucapionibus, præscriptionibus, restitutionibus, acquirendo rerum dominio serviant. Verùm cum eorum in jure nostro vix usus sit, cætera tam brevi temporis spatio expediri nequeant; Hic sistimus lectionis nostræ metam. Et quod restat, & meritis in me vestris par est, Vobis Magn. Dn. Rector. Spect. Dn. Decane. &c. pro concessa legendi potestate, & præsentia honore, me totum de fero. Persvasum habetote, Patroni magni, vestra immortalia beneficia in animo meo aternatum iri, neque fore me occasione se-gnem, quæ vestris meritis red hostimentum paretur.









the scale towards document

um restat, per quem, quando, &
roberur? Cum enim ætas sit quid incertum,
, quotidie mutetur. teste Menoch, de præsumpt. lib. 2.
ut Cic. loquitur, volet; & hinc facti esse dicatur,
do de probat. Vol. 2. conclus. 665. unde probandum
umi, unanimi juris consensu ab interpretibus tra-
nim facti sunt, de his in genere constitutum legim⁹,
antur, sed allegata probari debeant. text in c. cum
judic. deleg. c. 1. de constit. in sexto l. in bello 12. S.
& postlim. revers. l. aſſeveratio 10. C. de non num. pec. l. 1.
onſil. Marp. vol. 1. conf. 15. n. 252. & alii, quos Agri-
156. Quis ergo ætatem probare teneatur, hic
quærimus? Resp. Eum qui ætatem allegat, vel
do, vel excipiendo, eandem probare tenere, ex
minorem 4. ubi Sichard. n. 1. C. de in integr. restit. l. de
r. l. cū te minorem 9. ubi Sich. n. 1. C. de probat. latissime
robat. Conf. 666. p. totum exemplis illustrat & con-
plenarie ac dilucidis probationibus ætas proban-
s à D. Agricola pag. 157. sunt autem ætatis pro-
Et quidem
ectum sive inspectionem corporis probari potest:
D. de minor. quo spectat illud juvenal. facies tua
it a. h. m. ut si de ætate hominis dubium sit, ille judi-
sam illam commiserit, præsentetur ac sistatur, ut
aspectu corporis iudicium desumat, Decisio Ro-
interlocutoriam definit aliquem esse minorem,
r. 18. D. de minor. Contra quam tamen interlocuto-
contrarium admittitur l. si minorem 4. ubi Salicet.
in integr. restit adde Mascard. concl. 667 de jure Sa-
rit vid. & áchſiſch Landrecht lib. 1. art. 42.
dus probandæ ætatis per testes fit text. expressus in
iven. ætat. impetr. Quorum in numero obstetri-
ti, consanguinei, vicini, Mascard. vol. 2. concl. 668.
conjunctissime personæ admittuntur, quales sunt
D AVUS